Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31712
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

contemplatione reficit. Sed sunt plerique
casti corpore. non mente. timore coacti. non a-
more Christi. hii habent peccandi voluntatem.
sed non habent perficiendi facultatem. In talibus Christus
non habet manendi locum. quia spiritus sanctus discipli-
ne effugiet fictum. Sodales autem sunt falsi
fratres. qui cum viris Christi sacramenta sumunt. societatem
habitu preferunt. sed in vestimentis ovium
lupi rapaces sunt. quia vos fratres non diligunt.
horum signum est hoc. A fructibus eorum cognosce-
tis eos. Sicut arbores cum florent. vix dis-
pares apparent. et sepe acerbe infructu-
osae pulchriores in floribus sunt. et in non in so-
lo fructu discernuntur. ita falsi fratres cum viris
Dei filiis. ieiunant. vigilant. cantant. com-
municant. sed solo fraterno odio discernuntur.
per quod templum diaboli cognoscuntur. De
talibus anxia dicit fidelis anima. Indica mihi
quem diligit anima mea. Animam Christo loqui
est totis votis noticiam veritatis concu-
piscere. Christum autem anime loqui est secreta
ei veritatis aperire. Quod per tertiam personam
quem diligit dicit. magnum desiderium
absentis exprimit. Anima ponitur pro vita.
unde illud. Qui odit animam suam. id est vi-
tam suam. custodit eam. Dicit
ergo. Indica mihi quem diligit anima mea.
ubi pascas. ubi cubes in meridie. Quasi
dicat. O Christe via vita. quem diligo
per animam. id est per vitam. indica mihi interna aspi-
ratione. in quibus requiescas in estu temptatio-
nis. et quos pascas pastu tue dilectionis.
ne vagari incipiam per greges sodalium
tuorum. hoc est ne dum te quero inveniri fratribus
honorare. vaga mente diabolum cogar
in falsis adorare. In quibus enim ca-
ritas que Deus est non habitat. in his fal-
sitas que est diabolus regnat.

Anagoge: Ecclesia presentia fastidiens. et fu-
tura appetens dicit. Indica mihi quem
diligit anima mea. ubi pascas. ubi cubes
in meridie. Meridies dicitur quasi medidies.
id est mera id est pura dies. quia tunc sol in
centro celi clarius lucet. et significat
splendorem eterne claritatis. in qua
sol iusticie Christus. in patre et spiritu sancto.
medius fulget. Greges autem sodalium.
sunt ordines angelorum. qui sunt sodales. quia
eterni convivii simul edales. Dicit ergo
ecclesia Christo. Indica mihi quem diligit
anima mea. ubi pascas. ubi cubes in meri-
die. Quasi dicat. O sol iusticie qui
me decorasti. quando me de amore
seculi ad amorem tuum commutasti. noti-
fica mihi gloriam qua in claritate divinitatis
patri et spiritui sancto equalis fulges. et
angelos tua visione pascis. ne va-
gari incipiam per greges sodalium tuorum.
hoc est ne dubia mente in agminibus
angelorum te similem nobis locatum cogi-
Si ignoras te … tate. Vox sponsi.
O pulcherrima inter mulieres. Ad litteram
videtur ostendere locum amice que-
renti se in meridie. dicens. Si igno-
ras locum in quo habitem. sequere vestigia
gregum. et invenies me in taberna-
culis pastorum. Allegorice autem sponse
interroganti. de loco in quo sponsus ma-
neat. se ipsam locum habitationis sue
demonstrat. dicens. O pulcherrima subau-
dis in fide. inter mulieres id est inter
hereses. tu es locus meus. et tu ne est locus
mee requiei. extra te nullus mihi locus
est manendi. Quod si ignoras te esse locum
mee mansionis egredere de hac igno-
rantia. et abi post vestigia gregum